



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

VI. Quod à Principe Pannoniam petendi licentiam postulauit, & hanc non
obtinens dispositioni diuinæ animum supposuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

quæ olim totius Germaniæ, & nomine & dignitate Principum, & adhuc eiusdem gentis metropolis, antiq̄ue profapie caput, aduentu beatissimi sacerdotis ornatoribus illustravit fastus & insignia victoriosæ gentis triumpho concepta, nouo pacis præconio in melius commutata, fidei spolijs & ornatu sanctæ religionis ampliavit.

VI.

Hæc in m. s. alia litera in margine adscripta fuerat.

Hæc est ciuitas, quam olim Teutones à Germano sive Germanico Germanisheim vocabant. Huius vocabulum modernis temporibus lingua nostra Reganiskure teutonizat, quam antiquitas Romana, vt quidam scriptis testantur, Tiburniam vocabant.

VI.

Theodo Dux.

Huius monarchiæ THEODO Dux prouinciæ, qui tunc possedit, cōperto sancti Pontificis introitu, adhibitoq̄; conspectu, inter alia, quæ sit causa exilij, percontat^o est. Qui nomine & natione exposita, incolatū natiui liminis propterea deseruisse se perhibuit, vt Pannoniæ populos, qui gentili feritate adhuc effremuerāt, conditori Christo reconciliaret, & in hoc proposito suam coniurasse sententiam, vt aut voti compos professio nē vitæ cum fructuosa pace finiret, aut de uoto certamine, sanguinem Martyr effunderet. Ad hæc diuino consilio præuentus, Dux inquit, se tam pio studio nihil opponere, nihil tantæ virtuti resistere; nisi quod cōmeandi facultatem impossibilitas quædam obstrueret, propter discordiam scilicet, & longam inter se & AVARES bellorū controuersiam, fines in utroq̄; limite desertos, ita vt circa ANESIM fluuium vrbes & loca olim cultissima, tantis bestiarum immanitatibus horrerēt, ne viantibus vllus transeundi aditus pateret: monere autem potius & supplicare, quatenus apud se suosq̄; B. Pater morari dignaretur, quos tam rudes & imperfectos in fide præteriri fas non esset: maximè cum istinecessarium optarent, & illi forte quasi superfluum recusarent.

Fines inter Vngros & Bosarios deserti.

cularent. Prouideret autem, ne indiscreta pietas præmium amitteret, si offerret inuitis tædium, qui volentibus poterat afferre præsidium: neue sic diligeret impios, vt negligeret pios. Vir autem DEI in sua sententia fixus, nullo nutu declinari potuit, vt aliud vellet, quàm quod cœperat; nisi forte cœlestis obuiaret censuræ contradictio. Quibus acceptis ducis prudentia populiq; frequentia cum exhortationes eius adientium mentibus & pabulum sufficere docilitate, & dulcedine desiderium conspiceret, salutem suam, quam supplicatione non poterant, violenter obtinuerant, & ex verbis Saluatoris, vim passum est regnum cœlorum. Nam *Matt. ii.* egrediendi prouinciam, ne beato viro occasio proueniret obstiterant; & bene præualuit humana præsumptio, quo ex fonte eius salutis ascendit conditio. At Pater sanctus, quem prohibiti callis iniuria conturbauit, æstimare cœpit, quid nam hæc iustę voluntati difficultas obuia portenderet; maximè cum è sinu veritatis strenuis votis placabilis promitteretur effectus, quem ipse quoq; non infirma fide prosequeretur. Hæc agitantem subit exemplum Apostolorum, quos aut responsis, aut difficultatibus superna moderatio nunc & ad quasdam gentes misit, nunc à quibusdam prohibuit. Gratulatus ergo, supernæ dispositioni supposuit animum, & gentis studio præbuit consensum, & in altari obedientiæ DEO consilium salutis oblaturus, mutua se charitate populo deuinxit, cuius deuotioni conflictum ministerij sui etiam vitæ periculò diffiniuit.

VII.

Erant autem memoratæ ciuitatis & patriæ totius accolæ affluentia quidem mundanæ felicitatis illustres, sed nouiter ad fidem adducti, delusæ vetustatis fructus nondum radicibus extirpabant, & consuetudinem

C. 2

tenaci